



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 15. Renati Benedicti caussa continuata circa versionem Bibliorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

§. XV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1574

Renati Benedicti caussa continuata circa versionem Bibliorum.

Eadem Facultas hoc anno rursus causam Renati Benedicti Parochi ad Sanctum Eustachium agitare cæperat: die igitur decima quinta Januarii Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto Syndicus in quadam Congregatione significabat Facultati, quod quidam Præsul præsentis Decano Pelletier dixerit, sibi a quibusdam indicatum, quod ex Facultate tantum sint sex, aut septem, qui censura notarunt Biblia Magistri Renati Benedicti: verum omnes, qui tum aderant, fere centum viginti una voce professi sunt, sibi probari censuram Bibliorum dicti Benedicti, & conveniendum esse dictum Præsulem, ut significet illos, qui detulerunt hoc veritati tantopere adversum: porro Mense Julio conclusum est, quod Simon Vigorius Archiepiscopus Narbonensis, Secquartus Pelletierus, & Faber adirent Episcopum Parisiensem, qui præfatæ versioni Renati Benedicti faverat: cum ergo Vigorius referret, & Facultati exponeret, quod dictum opus condemnare Parisiensis Episcopus renueret, hinc Mense Augusto statutum, ut res ad Gregorium XIII. summum Pontificem referretur.

Argentra
p. 426.

Pon-

sæcul XVI.

A.C. 1574.

Pontificem deferretur, isque rogaretur, quatenus hanc Bibliorum versionem examinari, condemnari, ac supprimi juberet, curaretque, ut illorum Bibliorum suppressio in Gallia apud Christianissimum Regem per ejus Nuntium Apostolicum obtineatur ad tollenda omnia scandala, & diffidia, quæ inde enascuntur: insuper iidem statuebant exorare eundem summum Pontificem, ut dignetur superbiam, & novandi studium in Magistro Benedicto comprimere, ipsumque compellere, ut suorum Fratrum doctrinæ, & opinionibus consentire vellet.

§. XVI.

*Renatus Benedictus sese Facultatis
judicio subicere paratus.*

*Argentre
p. 428.*

Itaque Renatus Benedictus hanc Facultatis sententiam edoctus die decima sexta Septembris hoc anno Facultati libellum supplicem porrigebat, in quo Doctores, ut ipsimet hanc causam decidere vellent, supplex rogabat, simul declarans, quod sese Facultatis judicio subicere, cunctaque gratiosa monita sibi danda tanquam filius humilis, atque obediens, qualis semper fuerit, recipere paratus existeret, adeo, ut id, quod iidem in ejus versione dignum reprehensione deprehenderint, ipse quoque